

Simeon Partliz

Mundus Furiosus : Mutationis causarum perspicuitate, Eversionis Rerumpub. Varietate, Nec non effectuum proprietate Magnae illius superiorum Planetarum Saturni & Iovis coniunctionis, Quae Continget Anno 1623. die 8. (18.) Iunii iuxta medios motus, in fine [cancri] & principio [leonis]: Vera autem 9. (19.) Iulii circa horam 7. min. 45. A.M. in signo [leonis]. depictus: Et Singularem Quaestionis tractatione Utrum Astra in corpus humanum agant? Et si agant: Utrum cognitio Astrologiae Medico sit necessaria? Conclusus

Rostochi: Rostochi: Hallervordius: Pedanus, 1622

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757633978>

Druck Freier  Zugang




Blank paper label on the spine.

L II 6
1179 1-4

L II h - 1179. 1-4. <16. Jhr.>





MUNDUS FURIOSUS

*Mutationis causarum perspicuitate,
Eversiois Rerumpub. Verietate,
Nec non effectuum proprietate.*

Magnæ illius superiorum Plane-
tarum Saturni & Jovis conjun-
ctionis,

QUÆ CONTINGET

Anno 1623. die 8. (18.) Junij juxta medios motus, in fine
♄ principio ♃: Vera autem 9. (19.) Julij circa horam 7. min. 45.
4. M. in signo ♃. *depictus.*

ET

Singulari Questionis tractatione

Utrum Astra in corpus humanum agant?

Et si agant:

Utrum cognitio Astrologiæ Medico sit necessaria?

Conclusus,

AU T O R E

SIMEONE PARTLICIO

de Spitzbergk Marcom. Phil. & Med.

Doct. P. C. C. & Philom.

ROSTOCHI,

Typis JOACHIMI PEDANI, Sumptibus

JOANNIS HALLERVORDII, Bibliopola.

ANNO M. DC. XXII.

L. H. 6 - 11794. 41. c. - 4.



ORIGENES.

Quemadmodum potestas humana minimè tollitur, quamvis **D E U S**, quaecunq; facturi sumus prouideat: sic etiam signa, quæ ad significandum ordinata sunt diuinitus, libertati nostræ nequaquam officiant; sed est uniuersum Cælum liber quidam apertus, omnia futura in se scripta continens.

Nota

Homini rectè - cordato

CONSTANTIAM

Præterita,

HUMILITATEM


Præsentia,


S P E M

Futura,

Submistrant,

Victaq; crede mihi, redit in præcordia Virtus.





INVICTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTIS.
REVERENDISSIMO AC ILLUSTRISS.
PRINCIPUS AC DOMINIS,

DN. CHRISTIANO
Daniae, Norvegiae, Vandalorum, Go-
thorumq; Regi,

DN. ULDARICO
Episcopatus Sverinensis Administratori,
FRATRIBUS Germanis;

Hæredibus Norvvegiae, Duci-
bus Slesvvigæ, Holsatiæ, Stormariæ, Dith-
marciæ, comitibus in Oldenburgk & Delmenhorst &c.
Regi Principibus ac Dn. Dn. suis clemen-
tissimis

Hunc

Furiosi Mundi tractatum


IN

Submissi ac devoti animi testimonium,
Debitæ gratitudinis Symbolum,
Perpetuæ observantiæ monumentum,
Dicat, offert, consecrat.

Autct.

A

S. D.



OMNIBUS S. D.



*Am decet, Illustres, fama super aethera notos,
Heroas, meritis concelebrare modis.
Magna per Europam, quae dat praeconia fama,
Propria virtus & tot meritis Atavi.
Qui velut Empyreo splendent Cynosura in Olympo,
Vincentes reliquos consilio, arte, fide.
Haut his in lingua pedibusq; fugacibus unquam
Mavors, sed forti in pectore semper erat.
Ne Vobis pridem Virtus patefecerat omnem
Ad Regni fasces vimq; fidemq; aditum.
Maeste nova hac virtute Domus: sic itur ad Astra,
Dum nostris captis annuit ipse Deus.
Scilicet hanc primam Vobis Dominator Olympi
Concessit laudem, vel sine fine decus.
Nulla die: unquam memori Vos eximet avo;
Donec erunt orbes, Sydera donec erunt.
Nimirum Vos, Vos majoribus ire per altum
Auspiciis ordo, fata Deusq; jubent.
Fortunati ambo; si quid mea carmina possunt,
Vestra opelus, crux, Mars, sunt habitura modum.
Hac eadem Donui Vestra sine fraude manebunt;
Virtus, Mars, ars, Vis, gloria, fama, decus.
Vos quoq; nec tunc diuturna stamina Vita,
Sitq; proculis, vis, invidiaq; locus.
Sic felix Duce nixa suo Danonia tellus
Felix felices, usq; fovebit agros.
Queret & haut fessos reducere jugiter annos;
Inde suum ut sese pmdat in orbe decus.*

Felix;

Felix quæ in fortuna iuvat, sed, quem magis JESUS!

Cui fortuna favet, Cui Deus ille valet.

Dum stabat domus incolamus Regnumq; Boëmi

Consiliis viguit, nos quoq; floruimus.

At postquam innocuus Lojolæ odia aspera sensi,

In tenebris latitans, serpere cogor humi.

Nunc me, tot Vita scrupulos, tot inhospita saxa,

Syderaq; emensum, pontus & aquor habet.

Ergo Vicem sortemq; animo miserentur iniquam,

Atq; meos casus exiliumq; juvent.

Donarem tripodas Grajorum premia, sed non

Hac mihi Vis, Vobis deliciaq; animi,

Aspicite hant teretem Musam cultoris honesti,

Non incisa notis munera purpureis.

Vivite felices: sic Vos successibus, ultra

Sospitet optatis, auspiciisq; DEUS.

Vos Vestramq; Domum cingat Cælestibus armis,

Et sobolem longâ prosperitate beet.

Annisq; indultum faciat Volventibus equum,

Qui faciet Vota hac pondus habere, DEUS.

AUTOR

Ad L. Amicum.

Humana sortis cupienti texere Syrtes,

Tot cæptis obstant invida fata modis.

Interea hunc operis Prodromum dùm profero, dixi:

Non obstant semper, sed mala sæpè juvant:

Nam, mea cos, quidam cupiens me ledere, juroit:

Sic mihi, sic hostes, sæpè nocete mei.

A 3

DE



I.

De Causis mutationis ac destru- tionis Rerumpublicarum.



Uemadmodum nihil est vel sub sole, vel in universo isto, amplissimoq; naturæ theatro, quod æternam sui, aut perpetuam adipiscatur *in ætate* & conservationem; ita etiam omnes Respub. Principatus, Regna, licet saluberrimis legibus constituentur, prudentissimis Viris regantur, necessarijs adminiculis, muniantur: eo tamen pervehi nullâ arte, nullo conatu possunt; ut ab interitu ac ruinâ immunia ac semper vitalia forent: quin tandem illa ut ut

Magna repente ruunt; summa cadant subitò.

Undè Divinus ille Plato pater Philosophorum, & pleriq; alij considerantes calamitates & miserandos urbium, Regionum ac Regnorum casus: æstimantesq; revolutiones & cursus syderum, cognoverunt, quodlibet Regni & Reipub. regimen, ceu fructus autumnali tempore maturescere, & ad metam, ceu ex alto monte currus (quo strategemate in bello usus erat olim Joannes Ziska Boëmus) propere-
rare.

Invenerunt autem singulares Respub. 500. annos in flore mansisse; & vel antè, vel paulò post, aut ad casum inclinasse, aut planè everfas fuisse. Undè rectè poëta:

*Momenta per magna ruunt summusq; negatum
Stare diu; nimioq; graves sub pondere lapsus.*

Et illud Politico Theologicum: Omnia regna sua fatales habent periodos, solius Christi Regnum hanc habet gloriam, quod non sit inclusum certis vel loci, vel temporis terminis.

Ever-

Everſionis autem hujus cauſæ partim ſunt *primariæ*, partim *ſe-*
condariæ. *Primariæ* ſunt partim *occultæ*, quæ non niſi ſoli DEO ſunt
cognitæ, qui fatali lege omnibus imperijs infantiam, pueritiam, ado-
leſcentiam, juventutem, vigorem, ſive ætatem conſtantem, ſene-
ctutem, & ex illâ tandem mortem, atq; occaſum indixit: partim
manifeſtæ, eaq; vel *Theologicæ* ſeu divinæ, *Vel politicæ* ſeu humanæ & *Cauſæ Theo-*
morales. Cauſarum *Theologicarum* nomine intelligimus hîc fatales il- *logica muta-*
las converſiones & everſiones Rerumpub. non autem fortuitas. *tionum.*

Fatum enim illud eſt Chriſtianum ſive Theologicum, h. e. pro-
videntia DEI, quæ non affert neceſſitatem coactionis, ſed *infallibilitati*. DEus
enim peccatis hominum tanquam cauſis irritantibus motus, varia
calamitatum genera cum variâ in Politijs mutatione, per curſus
corporum Cœleſtium, tanquam per cauſas medias & instrumenta-
les immittit. Fatalis autem Periodus eſt vel *neceſſaria*, quæ habet Vi- *fatalis pe-*
res in rebus ſimpliciter naturalibus: Vel *probabilis*, cujus Vires ſunt *riodus du-*
in rebus, quæ partim à *naturâ*, partim à *Voluntate* pendent, qualis eſt *plex.*
Reſpublica. Eſt enim ab æterno in æternum divina lex, ab æternâ il-
lâ ſapientiâ juſtè lancita, ut omnia, quæ ortum, incrementum, pro-
greſſum, maturitatem & ſenectutem habent, interitum etiam ali-
quem habeant. Cujus quidem rei cauſæ, nobis quidem ignotæ eſſe
poſſunt, injuſtæ eſſe non poſſunt. Cum enim DEus ſit juſtus & li-
berriſimum agens injuſtè agere nec vult, nec poteſt. Juſtè igitur
conſtituit & præfixit hic rerum omnium arbiter omnibus, quæ-
cunq; ſub hoc lunari orbe exiſtunt terminum certum, extra quem
excurrere nequeunt. Ita regnis & Rebuspub. tempora certa præ-
fixit, quibus in chœntur, creſcant, floreant, mutantur & deniq; in-
tereant. Atq; hæc vocantur, *periodus imperiorum*; quales duas fremè
conſtituit DEus, annum nimirum 500. & 700. Magno enim exem-
plorum conſenſu obſervantum eſt 70. Septimanas Danielis (cap. 9.)
inſignem mutationem Rebuspub. attuliſſe. Tot enim anni nume-
rantur à ducatu *Mofis* ad Regnum *Saulis*: à ſolutâ captivitate *Babyloni-*
mica ad mortem *Chriſti*: ab *Eſra*, qui politiam Judaicam reſtauravit
uſq; ad *Veſpaſianum*, qui totam deſtruxit, Totidem ferè annis duravit
Regnum Athenienſium & Lacedæmoniorum. Annis 500. Con-
ſules rexerunt Rempub. Romanam. Anno 500 poſt Auguſtum,
Imperium occidentis dilaceratum eſt. Annos 500. durat Regnum
Boëmiz,

Boëmiæ, & quod excurrit. Carthago deleta est à Scipione postquam steterat annis 700. Bellum Civile inter Casarem & Pompejum, qui evertit Rempub. Romanam, incidit in annum ab urbe conditâ 705. Exactus est nunc quoq; ab instaurato Imperio per Carolum M. annus 700. & ultrâ: & à collegio Electorum, Ottonis III. sapientiâ constituto 600 & quod excurrit. Ob quem duarum periodorum concursum, impendere maximas mutationes, non est

Periodi
anni cur
tales?

obscurum, cum res orbis Christiani ad præcipitem ruinam nunc videantur inclinatæ. Annus autem 500. & 700. Rebuspub. ideò est fatalis, quia inter hoc spatium decurrit hominum generatio sexta, quæ defletrit magis, magisq; ab eorum simplicitate ac fortitudine, qui initio Viribus ac Virtutibus heroicis imperia acquisiverunt & conservarunt. Sicut enim corpora, quartâ & quintâ generatione sunt languidiora: ita quoq; decrescit Virtus, quâ præcipuè acquiruntur conservantur & propagantur Regna. Huc accedit, quod magna syderum positus fit mutatio intra spacium dictum. Atq; ita non numerus *Platonius* hoc efficit, sed sydera, quæ magnam habent Vim in humoribus hominum immutandis, à quibus pendet Reipub. in columitas & mutatio. Causæ humanæ & morales conver-

Causa mu-
tationum
politica.

sionum sunt partim *interna*, partim *externa*. *Internæ* sunt *Communes*, Vel *propria*. *Communes* dicuntur eæ, quæ sunt in principe & populo simul; quales sunt. 1. Enormium delictorum magnitudo. 2. Delinquentium multitudo. 3. Delinquendi consuetudo; cum homines jactitant quandam peccandi artem & peccata excusant. 4. Atrocium delictorum publicè concessa licentia atq; impunitas.

Quâ de re Bonaventura rectè inquit: *Mali mala sus, quod malorum ultimum est, amant; tunc autem consumata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit remedio esse locus, ubi, quæ antea fuerant vitia, mores fiunt.* Hoc ubi fit, ibi præsentissima imminet Reipub. perniciës, ita ut hoc possit esse prognosticon Universale sive perpetuum, omni Astrologico certius, ut Deuteron. cap. 28.

Causæ mu-
tationum in
Principis.

Causæ internæ mutationum & propria, respiciunt *Principem* & *populum* seorsum. In *Principe* quatuor potissimum reperiuntur. Primò tyrannis seu crudelitas, quæ secum trahit violentiam, injurias, vindictæ cupiditatem, expilationemq; subditorum, quæ est flagellum rebellionis, ut ex Tacito videre licet, qui refert Gallos, Frisios & Hi-

& Hispanos sub Imperio Romano rebellasse hanc ob causam.

Maximè Verò omnium non puto quanquam inveniri posse, qui ignoret, quanta sit tyrannorum lues & pestis in Republicà, in quâ oppressio multitudinis, effusio innocentis sanguinis, ordinis confusio, & rerum omnium perturbatio palmarium obtinent: attestantibus id lacrymis temporum, lugubribus vestibus majorum, miserabilibus vocibus & ululatibus multarum civitatum & regionum, quæ maximè execrabilem hunc statum esse declarant: & historijs, quæ *Dionysios, Phalarides, Busirides, Nerones, Heliogabalos*, & alia *Mundi portenta*, ceu penicillo quodam pingunt & describunt.

Attamen quemadmodum vulgare ac tritum illud proverbium nos consolatur: *Nullum Violentum esse diuturnum*: ita etiam tyrannis diuturna esse nequit. Ideò optima & non nisi de Cœlo verba Salutis, qui *cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna arbitratur, neque, quoniam à multis metuendum esse quin ad illum ex multis formido recidat*. Altera causa Principem respiciens est Autoritatis amissio: cum videlicet subditis imprimatur vilis & abjecta opinio de magistratu. Deficiente siquidem autoritate, sequuntur mutationes Imperijs exitiosæ. Quemadmodum enim *autoritas*, ex Ciceronis mente, *consistit in sapientiâ, Virtute, felicitate, animorumq; inclinatione mutua*: ita contrariorum lege, eadem facillè amittitur, per Principis imprudentiam, quæ principium est mutationis: quâ cum imbutus est, vel officium non intelligit, & de ejusmodi *Esaias* loquitur: *Dabo Principes pueros b. e. stultos, & insipientes*: Vel rectè monentibus refragatur, nec refragatur tantum; sed in proprio & imprudenti Cerebro natis se faciat sententijs: nec faciat se tantum hisce, sed mordicè semel conceptas retinet: nec retinet modò; verum etiam exigit ut probentur, laudentur, expellantur. Quemadmodum enim Medici in corpore, quod tenacibus morbis conflictatur, pro lethali signo habent, dum ægro morbus non ampliùs in sensum cadit, nec quod in corpore doleat, scire potest: Sic etiam quando *Princeps* rectè monentes sequi non vult, publicas calamitates non agnoscit, nec sibi ab ipsis metuit, tum certum est instare totius Imperij, Vel Reipub. everfionem. His signis *Alexander M.* magis quàm ullâ re aliâ invitatus, *Asiam & Darium*, cum jam nimis Voluptatibus

B

obrutus

obrutus fuisset, aggressus est, & felicem rei successum adeptus, quod voluit perfecit, & Perficam Monarchiam in Græcam immutavit. Nec minor causa amissionis autoritatis est Principum malitia, cum videlicet in ijs decrefcit studium virtutis, quæ

*Ante Iovem generata, docuit divumq; hominumq;
Quæ sine non tellus pacem, non æquora norunt.*

E contra augentur omnis generis vitiorum quifquiliæ ac sterquiliania. Hanc malitiam sequitur mutatio fortunæ, seu infelicitas in actionibus, cum error in consilijs quid faciendum, quid fugiendum non minus impedit, quàm futurus oculorum aciem. Non minor conversionum causa in Principe est *religionis & legum temeraria mutatio*, quæ non suscipitur sine magnis in Repub. motibus, teste summo Græciæ oratore Demosthene; Qui in oratione adversus Timocratem *nihil perniciosius Reipub. accidere posse dicit, quàm leges gravibus consilio sancitas, temerè mutare, aut abrogare*: Contra verò nihil esse laudabilius, quàm leges & statuta firmiter tueri, & secundum ea civium mores & vitam regere & dirigere. Et quemadmodum in ædificio ruunt omnia, si vel unum lignum, quo ædificium sustinetur, eximatur: ita etiam unius legis, quæ firmissimum fulcrum civitatis est, mutatio, rerum omnium in Repub. ruinam facillimè secum trahit: quod dum fit, necesse est infinitos motus existere, & Rempub. tandem interire. Accedit huc etiam scelerum impunitas; cum Magistratus se polluit societate scelerum, & eam ob causam scelera non punit. Restant causæ respicientes populum, quæ sunt *anarchia* seu confusio; quæ cernitur partim in *violatione præceptorum Decalogi*, partim in *perturbatione quatuor statuum Vitæ humanæ*.

*Causa mutationum
in populo.*

Præcepta violantur primò discordiâ civili, undè bellum civile, primus & gravissimus gradus ruinæ Imperiorum. Peccatur autem hac in parte non modo à civibus, cum ij Magistratus ordinariam potestatem aspernantur: tributa, vestigalia, pensiones recusant: leges contemnunt: aut ipsi intestinâ discordiâ & seditione, paralyfin quandam Reipub. introducunt: verum etiam, uti Plato sermone suo usurpare solebat, *quando ferrum, vel æs custodiae auctoritatem obtinuerint*: h. e. ad gubernacula mali, aut imperiti federint, qui judicia non ad jura, aut leges, sed mores suos, impietatem, crudelitatem, avaram subditorum expilationem referunt. Hæc ubi viri cordati ac periti

periti prospiciunt, Rempub. & causas simul, & signa prospicere sibi videntur: in primis si ex benigno Cyro, durum Cambysem, ex pastore lupum, ex bono Principe, tyrannum evadere animadvertunt. Unde Ludovicus XII. Gal. Rex scite quidem, sed & verè dicebat: *Plebem & Rusticos esse pascua tyrannorum ac militum: tyrannos autem & milites pascua demonum.*

Postea præcepta quoq; violantur *Luxuria*, quæ œconomia ex-hauriuntur, & ita pecunia, politicæ nervus inciditur. Tandem præcepta violantur *securitate*, in quâ vel nullum, vel præceps consiliium, undè perturbatio & ruina Reipub. sequatur necessum est. Periodus enim fortunæ humanæ hæc est: *ex successibus felicibus homines fiunt securi: ex securis superbi: superbiam sequitur ruina*, juxta illud: *Pæna superbia est inevitabilis.* Et Seneca.

Sequitur superbos ultor à tergo DEUS.

Exemplo sunt Ajax, Saul, Senacherib, Alexander M. & alij complures. Postremò præcepta violantur *pruritu belligerandi*, qui Politiam consumit, vel externis, vel domesticis bellis, juxta illud: *Politia bellicosa seipsum solet excedere.* Et Peucerus: *Tria peccata mutant Rempub. & imperia; impietas Ecclesiam: injustitia universali politicam: Luxuria œconomias perturbat; sed & singulorum detrimenta redundant in univèrsos.*

Causæ respicientes *perturbationem quatuor statuum* sunt, vel instatuum *Scholastico*, artium & studiorum defectus, Præceptorum & discipulorum ignavia: vel in statu *Ecclesiastico*, ut hypocrisis, sacrilegium, profanatio rerum sacrarum: vel in *œconomico*, paupertas, æ alienum, adulteria & alia innumera mala: Vel in statu *politico*, ut Principis impietas, improbitas, & crudelitas; advocatorum fraudes, & contortuplicata sophismata ac *δωροφωγία*. Unde omnes status affligunt calamitates politicæ, ut bella civilia, lues & interitus animalium, sterilitas, frequens militum transitus, fæx hominum, urbium & familiarum integrarum mors. Etenim cum crudelitas ac tyrannis secum ceteri communi quodam jugo trahat, tanquam perperuos comites, insanam dominandi libidinem & avaram subditorum expilationem, quid quæso utrinq; nisi Reipub. funus præforibus esse videmus. Nam sicut ij, quibus ex aqua intercutem Ventris moles in monstruosum modum extenditur, nimiam siti subinde

vexantur, potum assidue expetunt, qui tamen in aquam & ipse Vertitur; unde morbus vires acquirit, augetur, & interitum maturat: ita etiam insatiabilis illa tyrannorum dominandi cupiditas efficit, ut dum alia querant & possidere cupiant, presentia etiam amittant.

Quod si terribilissimum avaritiae vitium accesserit, & Magistratus eo ferbuerint: tunc effrenis illa possidendi libido eos provocat & impellit, ut gravissimas, easque & divino & humano jure prohibitas, tributorum pensiones injungant subditis, absque ulla commiseratione. Ideo, *quemadmodum ubi lien* (quod Hadrianus Imperator frequenti usurpabat sermone) *in corporibus nostris excrescit, reliqui artus tabescunt: ita etiam cum Magistratum fisco surgit, reliqua civitatis membra marcescunt & agrotant.* Unde fit, ut subditi languinem & succum sibi subtrahi Videntes; Consilium ineant seditionis, mutationis, defectionis, aut ad minimum rebellionis. Sic tribus Israelis nullam aliam ob causam defecisse à Jeroboamo, historiae tradunt, nisi quod illas magnis exactationibus premere constituerat. Eadem causa fuit cur olim Galli, Frisij & Hispani Imperio Romano rebellarent. Ideoque non immerito Tiberius Caesar laudatur, qui à praesidibus instigatus, ut provincias tributis oneraret, respondit: *Boni pastores sibi tondere pecum, non deglubere.*

Liceret autem Magistratus superior aliquanto sit æquior: sapienter tamen sit, ut Magistratus inferiores, aut eorum Vicarij, Legati, vel praesides locorum, sint istius modi sanguisugae, seu striges & hirudines subditorum, qui sacra auri fame adeo excæcantur, perturbantur ac irritantur, ut periculosas seditiones concitent, quibus florentissima etiam regna perdant. Tales fuerunt Romanorum praesides in Dalmatiâ, qui incolas gravissimis exactationibus adeo presserunt, ut Dalmatiæ Romanis Duce Battone rebellarent. Quod cum Tiberius Imperator animadvertisset, & cum rebellantium Duce de pace transigere voluisset, interrogavit eum; cur cum cæteris suis affectis à Romanis deficeret, & ijs sese tanquam legitimo Magistratui opponeret, respondit: *Vos ipsi in culpa estis, qui, ad vestros greges custodiendos non canes, pastoresve, sed lapos mittitis.*

Utinam & nostrâ hac ætate eadem non ageretur fabula mutatis tantum personis, non tam multi subditi legitimo Magistratui sese opponerent, non tam præclara regna interirent, nec tot tantaque

etq; Rerumpub. mutationes inde sequerentur. O pestis Rerumpub. regnandi avara libido: ut juventutem regnorum viridissimam in decrepitam & rugosam senectutem, imò in ipsas mortis fauces detrudis.

Quod *externas attinet mutationum causas*, earum cum sint plurimæ, nos quatuor in medium introducemus; quarum prima est *rebellio* eorum, qui armis sunt victi: Sic Idumæi à Davide victi, sub Joramò, ob graviores exactiões, defecerunt, & ruinæ Regni Juda initia præbuerunt. Sic Boëmi olim à Rudolpho 1. Victi, sub Mathiâ & Ferdinando, ob præsidum injurias, defecerunt, ac totam ferme Europam ad arma concitârunt. Altera causa est *irruptio hostium*, in primis barbarorum, qui velut opum examen, & turbo, aut procella Respub. fortissimas sibi obvias deijciunt, deturbant, pessundant. Hujus rei exempla innumera nobis tam sacri codices, quam libri profani suppeditant. Sic Monarchia, Monarchiam devoravit; Assyrios enim Chaldæi, Chaldæos Persæ, Persas Græci, Græcos Romani de Imperio deturbarunt. Assyrij iterum Regnum Israël, Chaldæi Regnum Juda invasione suâ perdiderunt. Galli & Cimbri in Italiam Brenno Duce irruentes, Romanorum potentiam infregerunt: & Gothi in Romanorum potentiam se immittentes sub Arcadio & Honorio Imperatoribus, penè illud funditus deleverunt. Romanis iterum ab immanissimâ Turcicæ tyrannidis bestia, florentissimum Orientis Imperium ereptum est, ita ut, proh dolor, in illis locis, ubi salutaria Christi elogia primitus audita, nunc nescio quos feralium bubonum & Draconum ulalatus, Mahometicâsq; blasphemias auribus prætereuntium obstrepere & obrepere videas. Non exiguas Vires mutationibus affert *sociorum defectio*. Sic bellum Latinum, sive sociale Romanorum, Rempub. per 17. annos afflixit. Spartani à socijs in Leuctricâ pugna propter superbiam deferti, insignem illam à Thebanis, Epaminondâ Duce, cladem acceperunt. Ad extremum, externorum bellorum calamitate, tanquam Gangrânâ depascitur corpus Reipub. succi plenum, ut in Ungariâ videre licet, & nostrâ ætate alijs pluribus in locis.


Quod *secundarias mutationum causas* attinet, sunt *periodica siderum & orbium revolutiones*. Cum enim orbium & planetarum revolutiones ad suam metam & quasi in orbem volverentur & revolventur, sem-

*Causa mutationum
secundaria.*

per aliquas in mundo mutationes videre licuit: adeo ut evidens sit harmonia inter duas illas fatales periodos 500. & 700. annorum; & inter revolutionem orbium & planetarum, à quib. hæc inferiora afficiuntur, Neq; enim numerus tantam inferre potest conversionem Rerumpub. ut docuit Plato, quantum Cælum & Meteora: & in ijs conjunctiones & cometæ, qui mirum in modum, ut inferius ostendemus, alterant humores hominum, & consequenter animos: ac præindè non exigam habent vim in Rebuspub. mutandis. Harum Causarum & mutationem ingentem copiam dabimus in nostra utriusq; Cœsmi Majoris & Minoris Metamorphosi, cujus hic Prodromum præmittimus.

Verùm enim verò hæc ita accipienda esse volumus, ne quis vel numero, vel meris Cœli influentijs vim omnem tribuat, aut has causas ita accipiat, quasi sint certæ & præsertim definitæ, ut necessariò expectanda sit conversio, vel eversio ipso anni 500. vel 700. aut conversionis orbium & planetarum articulo. Videmus enim quasdam Rerumpub. Catastrophas post hoc tempus accidisse. Nimirum Deus ex sua immensa misericordia prorogat aliquando istam terminum & pœnam: sæpè etiam eundem terminum anticipat, contrahit & minuit, ob scelera mortalium.

Elenchus.



De Conjunctione Magna super-

riorum Planetarum ♃ & ♃ anno 1623.

eiusq; effectis.

Conjunctio Magna hoc anno 1623. continget die 8. (18.) Junijuxta medios motus, in fine ☿ & principio ♄: Vera autem 9. (19.) Julij circa horam 7. min. 42. in signo ♄ A.M. Continget in domo Cœlesti 12: in domo, triplicitate & gaudio solis, ubi inveniuntur stellæ, Præsepe & ambo Afelli Boreus & Austrinus, de naturâ ☿ & ☽: Item brachium Austrinum ☿ de naturâ ♃ & ♃. In eadem domo est ♃ non procul à Regulo, stella Regia de naturâ ☿ & ♃: & Fomahant Regia stella domum ♃ & ♃ ex 6. domo 12. aspiciens. Sol est in domo amicorum, in domo Lunæ non procul ab Hercule regiâ stellâ, & extremo pede ☿ stellis de naturâ ☿ & ♃.

Mars est in domo ♃ Retrograd. & in propriâ exaltatione. Saturnus est in domo & triplicitate solis, in suâ facie & detrimento. Jupiter est in domo & triplicitate solis in suo termino, in domo inimicorum occultorum. Venus est in Horoscopo, in domo & exaltatione ♃ & suo casu. Luna est in domo itinerum, legationum & religionis, in domo ☿ non procul à ♃ de naturâ ♃ & ☿. In tertiâ est ♃, de naturâ ♃ & ♃ non procul à spicâ ♃ de naturâ ♃ & ☿: & alia stella Regia, Luminosior Lanx meridionalis, de naturâ ♃ & ♃ medium Cœli occupat, domum dignitatum & honorum. Mars, ex ♃ significatore Imperij Romani, aspicit hostili aspectu (II) lunam existentem in ♃: Et ☿ solem in 11. domo locatum. Figura Cœli sic habet:

X. ☿. 26. 15. cap. Algol.

XI. ☿ 8. 32. ☉ 25. 7.

XII. ♄ 11. 26. } ♃ 6. 43.

I. ♃ 4. 18. ♃. } ♃ 6. 44.

II. ♃ 25. 38. } ♃ 21. 46. Retrog.

III. ♃ 20. 42. ☽ 25. 42.

IV. ♃ 26. 15.

V. ♃ 8. 32. ☿ 5. 55. Retrogs.

VI. ♃ 11. 26.

VII. X 4. 18.

VIII. X 25. 38.

IX. ♃ 20. 42. } ☽ 17. 31.

} ☽ 25. 42.

Hujus

Hujus autem conjunctionis, cum sit maximè in eà potens, Mars erit Dominus & gubernator, ut qui est in suà exaltatione & in domo h, à quo magis inficitur & est Retrogradus; maligni autem planetæ, cum sint debiles majores exerunt vires. Postea solem, significatorem illustrium Virorum, in cujus domo hæc conjunctio facta est, hostili vulnerat vultu; sicut & Lunam, significatorem Imperij Romani, ex propria domo trudit: Et aliquot stellas de suà naturà, in eodem loco habet, in quem conjunctio hæc incidit. Undè expectanda est in Imperio Romano mutatio talis, qualem vix secula aliquot Viderunt. Diversæ enim humanum genus exponet fortunæ; hos exaltando, illos deprimendo, his lacrymas excutiendo, & perpetuum luctum afferendo, illis gaudia & quietem subministrando. Licet autem conjunctio in trigono igneo, ut superius demonstravimus, singulis 19. annis 315. diebus & 19. horis recurrat, & decem vicibus in uno eodemq; trigono fiat; adeo ut à rerum conditu ad hanc nostram usq; ætatem circiter 280. evenerint: nihilominus tamen cum sit singularis ejus in Leone hoc anno 1623. dispositio, non parvi est ducenda; Ut quæ portendit in *Politiâ mutationes Imperiorum & Rerumpub. varias.* Item *bella cum fame & peste: In Ecclesia verò Evangelicæ doctrinæ longè lateq; propagationem, & novæ stellæ aut cometæ apparitionem.* Metuendæ igitur sunt his temporibus mutationes Imperiorum, Regnorum ac Rerumpub. variæ. Translationes Regnorum & Principatuum ex alijs in alias familiis, adeo ut quod olim tres pluresve tenuerint, id unus sibi appropriaturus sit. Et quod longè maximùm est circa 18. Julij incident simul omnes Planeta in ♄, excepto ♃, quod signum Zodiaci inter Cætera longè præstantissimum est, nec ullum aliud sydus in Cælo tot præclaris ac splendidis stellis ornatum est. Ideo quoq; Astrologi id soli attribuerunt, in quo summam dignitatem obtinet, nec alijs rebus præest nisi sublimibus & altis: Item Regibus, Principibus, Generosis Viris, & qui ad Gubernacula Reipub. sedent. Et quia uterq; Planeta h & ♃ sunt tardi motus, & conjunctio est in signo fixo, hæc mala non statim suum finem sunt sortitura. O Reges, Principes & vos Magistratus utriusq; ordinis, *preces ad DEUM fundite atq; vitæ emendationem suscipite!* Vobis enim summæ calamitates impendent, omnia misera significantur: paupertates, tribulationes, exilia & capti-

Effecta hujus conjunctionis.

captivitates imminent; idq̄, ob diversa religionis studia, ob contemptum verbi divini ac ministerij, & ob ignaviam in gubernatione. Nec verò dissidia intervos orta affinitate & similibus pacificationibus sopientur, ut factum est hactenus, sed ubi res ad pacem inclinare videbitur, illicò novis occasionibus *intolerantiâ putâ, cupiditate vindictæ, ambitione, avaritiâ, calidû consiliis*, bella & odia incruDESCENT, quæ multis exitio eruat, multos etiam fortunis spoliatos omnibus, extorres agent. Tempore *Caroli M.* accidit conjunctio quoq̄; in principio *Œ.* inciditq̄; prorsus in initium Regni, quo is post mortem Pipini rerum potitus est anno 369. Quemadmodum autem tunc ingens mutatio Imperij contigit: ita nunc quoq̄; insignis rerum conversio accidet: novæ leges ac judicia instituentur. Et sicut tùm temporis caput *Imperium Romanum* dividi: altero videlicet *Imperatore ad orientem*, altero *ad occidentem* sibi *Imperij potestatem vindicante*: ita nunc distractio Imperij impendere & pertimescenda esse videtur, ob diversas religionis & factiones Principum, quorum alij aliud caput sibi cooptabunt & attrahent. Ac velut conjunctionem illam magnam multa & varia bella secuta sunt in Gallia, Italia, Hispania, Saxonia & quibusdam alijs in locis Germaniæ; idq̄; propter libidinem dominandi & religionem: ita hanc conjunctio-nem precedent & sequentur aliquot funesta & exitiosa prælia, & fortassis in iisdem locis ac similibus de causis de quibus jam dixi. Undè fiet inexpectata regnorum ac Principatum ad alias familias translatio: ita ut ubi duo, vel tres regnarint, jam unus duntaxat id sibi attributurus sit. Et quemadmodum conjunctionis illius magnæ tempore, Deus excitavit præstantem illum Heroem *Carolum M.* qui in tantis fluctibus ac procellis Imperij gubernacula regens honestam disciplinam legum & Ecclesiæ sedem conservaret: Sic tempore hujus conjunctionis magnæ, haut dubiè *DEUS opt. max.* Principem aliquem potentem, magna nimum & industrium languescenti Europe dabit, qui perturbatum Imperium in certum ordinem redgat, collapsamq̄; disciplinam instauret, Ecclesiamq̄; tyrannide liberet. Ego novi Principem in Germaniâ magni nominis, in cujus Genesi seu nativitate Planetæ præcipui huic conjunctioni magnæ devincti sunt. Saturnus enim & *Œ* soli potentissimo configurantur: inde non procul est *♄*: à quo non procul Regulus stella fixa eximia & benefica

©

nefica distat; & alia stella Formahant in oppositâ domo reperitur.
 Undè liquet Planetas præcipuos in iisdem ferè Zodiaci signis con-
 stitutos esse, in quibus Conjunctio hæc magna continget. Sol præ-
 terea & ♀ sunt in mutuâ receptione ex domibus, quod tantundem
 valet, ac si uterq; eorum in suâ exaltatione versaretur: & omnes
 Planetæ sunt in Planetarum exaltationibus excepto ♄. *Hæc omnia
 honores maximos huic familia promittunt. &c.* Homines Verò, qui in suis
 natiuitatibus Leonem in Horoscopo habent, assistentib. ei aliquot
 Planetis: aut quibus planetæ superiores in eodem signo Zodiaci
 constituuntur; vel quibus luminare temporis, aut Dominus geni-
 turæ vel Horoscopi in ♄ collocatur, ij in primis ad Choreas Cæle-
 stes invitabuntur, alijq; aliquid novi molientur. Et metuo ne *magnus
 ille Monarcha circa dies Aprilis*, cujus Genesis hoc modo, uti jam dixi,
 disposita est, *concidat*: quod non parùm promovebit Ecclipsis illa
 lunæ, quæ eodem anno 1623. (April. 4.) paulò magnam, illam præ-
 cedet conjunctionem. Mars quoq; in potestate Saturni hostili aspe-
 ctu lædens utriusq; luminare ☉ & ♃, minatur magnis & potentibus
 viris Regibus & Principibus cædes & morbos graves ac venena-
 tos. Hæc jam prædicta mala, ut etiam fames, multas passim regio-
 nes enervabunt, pestisq; violentiâ major populi pars concidet, ob
 ♄ in ♄ cursum per biennium fermè, qui non saltem ♄ ibidem con-
 stitutum, sed & reliquos omnes Planetas suâ venenatâ inficit natu-
 rã. Pestis enim causam efficientem post DEUM

Constituunt	Medici	} 1. Aëris malignitatem 2. Contagium. 3. In ordinatam hominum dietam.
	Saturnum:	

Sed Lectorem Amicum remittimus ad libellum nostrum non
 tam pridem editum, qui Flagellum Dei inscribitur, in quo Sextu-
 plicis belli, famis, & belli naturam deregimus

Quoniam autem post conjunctionem illam magnam statim
 fiet

fiet concursus omnium serè superiorum Planetarum in signo Ω circa 23. Julij; judico ex eo, cum appariturum, aut paulò post, cometam, aut novam stellam. Plerumq; enim *concurso Planetarum in signis ignis Cometæ denunciant*. Sic fuit coitus Planetarum in Ω anno Domini 1434. quo Cometa fulsit. Item cum esset coacervatio planetarum an. C. 1556. mense martio in V. confestim cometa secutus est. Non tamen ausim affirmare, ut is à nobis conspiciatur. Nam Cometæ, qui in aereâ regione incenduntur, non tam à multis gentibus conspici possunt, atq; illi, qui incenduntur atq; existunt, in firmamento, seu Cælo stellato. Aliquando quoq; tales novæ stellæ accenduntur non procul à sole, & radijs solaribus reguntur, adeò ut à nobis non possint conspici: interdum quoq; dispareunt ante quam è solis radijs egrediantur.

Quod si eo tempore, quo dixi, stella nova aut cometa orietur, *astus ingravescet, & anni siccitas annonæ caritatem gignet*. Et quod plus est incident in idem tempus, vires illius horrendi Cometæ in fine anni 1618. conspecti: Et Eclipsis \odot anni 1621. Item istius conjunctionis magnæ; *ex quorum trium testimonio non nisi mirabiles ac funesti exitus portenduntur*. Et uterq; Planeta superior Υ & Ψ paulò post hanc magnam conjunctionem junguntur calido Planetæ soli. Saturnus quidem combustus in Ω efficit ventos & pluvias, sed quia est tardus motu, & orientalis siccitates minatur. Jupiter in Ω combustus, leves auras afferre solet: sed quia est tardus, morbos graves minatur. Si verò Cometa visus non fuerit, accident aliàs horrendæ visiones in Cælo, ac prodigia Varia: orientur præterea sæpius fulmina ac tonitrua gravissima grandine permista, quæ passim multum damni dabunt. Sub eadem conjunctione magnâ, plurimæ artes abstractæ & hæcenus incognitæ revelabuntur: adeò enim solertia & expedita ingenia ante extremum Judicij diem sunt futura. Ad extremum, quia conjunctio ista magna se ad principium Ω extendit, qualis etiam fuit paulò post Christi ascensionem in Cælum, cum Apostoli Spargerent Evangelium in universum orbem terrarum: Decernitur ex eo nunc puræ ac sinceræ doctrinæ longè lateq; disseminatio, etiam in ijs locis ubi antea non fuit. Sed quemadmodum regnum Christi partum est sanguine: ita propagationem illam verbi divini multæ acerbitates comitabuntur, & conabitur eam variâ

hæresi impedire Satan. Tu autem, ô DEus, Pater D. N. J. C. miserere tandem nostri, & respice Ecclesiam tuam afflictam, sublatam; tot dissidiorum ac hæresium turmis à Satanâ passim inspersis, infidelium corda converte, atq; tam Turcas, quàm Judæos, in tuum ovile congrega, ut nobiscum, sub Pastoris illius summi J. C. præsidio, te agnoscant solum verum DEum, & quam misisti Jesum Christum, Amen.

Elenchus.

Conjunctionis magnæ consideratur vel	[Descriptio	Astrologica.	} Impèriorum } Mutationes } Rerumpub.
] Effectus, ut	
] quæ portendit in		[Ecclesiâ

III.

Quæstio.

Utrum Astra in corpus humanum agant?

Et si agant:

Utrum cognitio Astrologia Medico sit necessaria?
in

Inclytâ Basiliensium ad Rauracas Academiâ,
in actu Solemni Doctorali sub
Promotore

Excellentiss & Clariss. VIRO.

Dn. THOMA PLATERO, Professore Botanico
& Anatomico, pronunciata ab Autore

12. Jun. Anno. 1621.

Et

Et rectè & sapienter Magnifice D. Rector, Spectabilis D. Decane, Viri Illustres, Ampliff. Excellentiff. Clariff. Doctiff. Tuq; juvenus Studiofa, virtutis & eruditionis laude cultiffima, sapienter, inquam, Divinus ille Aristoteles mihi dixiffe videtur: *Quod nimirum id à quo initium est motus, procul dubio cæteris etiam rebus vim movendi impertiat.* Quibus verbis Philosophus ostendere voluit: cum cæli motus primùm in naturâ exititerit, ejus vim ac efficaciam in rebus inferioribus, minimè in dubium vacari debere.

Et spiritus Dei per os patientiffimi illius Jobi *Cælum habere leges & potestatem in terrâ, expresse docet.*

Est enim manifestum humanum corpus quandam Cæli imaginem præ se ferre, & suam contemplationem perindè atq; Cælum habere, ob magnum consensum, harmoniam & societatem, quam cum illo agnoscit, gerit & sustinet. Undè & hominem teste Galeno Medicorum Coriphæo & Antesignano *μικροκομῖον* respectu *μακροκόμῃς* veluti parvum mundum esse ajunt Viri Veteres naturæ periti.

Ad hæc uno omnes clamitant ore: *omnia in omnibus inveniri, in infimâ suprema, & in supremâ infima:* Vel si mavis in Cælo *terrena*, sed modo Cælesti; & in terrâ *Cælestia*, sed modo terreno, ut est apud platonium Proclum. Pendent enim inferiora ex superioribus, & *terrena* à Cælestibus, & cognatione quadam mutuâ inter se continentur. Non tamen corporum influentiæ è terrenâ, aut elementari regione in Cælestem ascendunt & influunt, sed ex Cælesti illa & superiore in hanc terrenam descendunt. Hujusmodi ergo Astro- rum influentias, cursus, & motus multiplices, cum nobis DEUS opt. max. patefaciat: *Cælumq;* tanquam *librum apertum*, ut loquitur Origenes, *in quo futura per stellarum & luminarium transcursus significatur*, recludat, non immeritò quæritur:

Utrum Astra in corpus humanum agant?

Et si agant:

Utrum Astrologiæ cognitio Medico sit necessaria?

Atq; ut indè sese efferat oratio nostra, undè hæc tota lis pendere videtur, apud omnes in confesso est, Astra quædam divinæ virtutis esse instrumenta, per quæ univèrsum hoc gubernari credimus. Siderum enim opera, effectus, sive inclinationes, sive in-

fluentias dicas, divinæ providentiæ quædam esse documenta, quis est, qui neget? Cum nihil non in hoc mundo juxta Astorum dispositiones affici videamus, quamvis omnia in DEum referri soleant. Quemadmodum enim non securi operis cujuscumque structuram tribueris, sed fabro, qui hæc utitur: ita Astorum effectus, qui motus eorum consequuntur, non ipsis Astris, sed DEO illa regenti gubernantiq; causæ velut, primariæ ascribere debemus.

Et licet pleriq; manifestâ experientiâ convicti, concedant *Cælestia corpora in subjectum aërem atq; elementa influere*; nihilominus tamen *hominem siderum efficacia esse subjectum nequaquam admittunt*; atq; sic manifestâ experientiæ sese opponunt. Cum enim homo ex elementis constet & è terrâ formatus sit: necesse est ut eisdem conditiones subeat, quas obtinent res è quibus constat.

Præterea aër ipse, quem haurimus, & ex quo non minus, quàm ex cibo & potu alimur, cum variè afficiatur à Cæli influentiâ, necesse est nos unâ diversimodè affici. Taceo quod *corpus humanum ex ipso Cælo, occultâ quadam ratione, plus vivat & nutriatur, quàm ex aëre*, vel aquâ, ullisq; alijs his inferioribus atq; elementaribus rebus, & incredibilem cum cognatis Astris obtinere familiaritatem; ut non immeritò *animas nostras partem esse ipsius Cæli* Veteres Philosophi dixerint. Tota insuper humani corporis structura, ita est septem errantium stellarum analogâ, ut similes ferè operationes hæc, in corpore nostro, cum Planetarum in Cælis naturâ sortiatur. Hinc *cor vitalium spirituum auctor, soli Cælesti*, à quo mundo Vivificus procedit calor æquiparatur. Sic *cerebrum Lunæ assimilatur* & ad ipsius crescentiam augetur, & minuitur, humidatq; lunæ naturam imitatur. *Hepas officina sanguinis*, in quo cum vitâ consistat, sanguineo & *Virali Planeta Jovi* est simillimum.

Renes, qui generationi deputatis membris vires largiuntur, *Veneri prolifico Planeta*, & generationum matri æquiparantur. *Splen* & *fel* duobus vilioribus & minus benevolis planetis *Saturno* & *Marti* alligantur. Eâ ratione, ut *splen aëræ bilis receptaculum, Saturno Melancholici humoris præsidi*: *Fel autem Cholera domicilium, Marti cholericæ & iracundo Planeta* assimilatur. *Pulmo*, qui mutabilis illius, & celeris *Mercurij* vicem obtinens, perpetuâ agitatione in corpore nostro movetur: aëremq; & spiritum suo motu attrahens, cordis refocillationi imperit:

impertit: non aliter quam *Mercurius* in cælo ventosus, & aërius, Planeta censetur, semperq; soli præto est, ejusq; mandata nunc hæc, nunc illæ discurrens, exequitur. Tandem in singulis corporibus magnam naturarum diversitatem quis non videt? Quis nescit eos, quos *Saturni* altissimum sidus feliciter tinxit, altas res, & à vulgi captu remotas, scrutari? Eos verò, quibus *Jovialis* affulsit splendor, judicialib. & politicis negotijs magis affici? Quis nescit nonnullos nil nisi bella, cædes, tumultus, & rixas spirare, quos *Martius* exagitat furor & feror? Aliosq; honores, dignitates, rerumq; dominia *solari influentia* affectare?

Sunt, qui ætatem amoribus, delectationibus, Musica, alijsq; jucundis delicijs peragant, quos blanda *Veneris* exhilarat stella. Alij artibus ingenuis exercendis, vel etiam mercaturæ se totos dedunt, qui à *Mercurij* afficiuntur sidere. Quidam *Lunaris* naturæ influentiam sortiti peregrinationibus, navigijs, piscaturis & similibus rebus ætatis cursum absolvunt. Atq; hoc pacto magna ingeniorum Varietas ad similitudinem septem Planetarum percipi potest. Quod sanè evidentissimum argumentum illius, quod corpora superiora occultam quandam vim, & virtutem ex motu suo, lumine, & influxu, in corpora humana infundant, per quam humores in corporibus nostris mutantur, augentur & minuuntur, secundum siderum positum & qualitatem. Et hoc ipsa quotidiana experientia, certissima omnium rerum magistra, clarius evidentiusq; docet, quàm ut longiori demonstratione egere videatur. Quod si quis fidem dictis adhibere noluerit, *Lunam* consideret, quæ in humores præcipuè sibi Dominium vindicat, ut apertè convincetur? Crescente enim *Lunà*, crescunt humores sanguis & medulla in homine & bestijs. Et Lunaticus curatus à Christo, qui sæpè cadebat in ignem & crebro in aquam, absq; dubio secundum *Lunæ* motum fuit correptus. Videmus enim hydropicos ex salium in corpore resolutione, quibus *Luna* non minùs quam mari præest, gravissimè semper circa novilunia torqueri, eo quod resolutio illa, cum *Lunà* plenà, in plenum statum advecta sit: ideoq; omnes ferè hydrofici circa plenilunia moriuntur. Undè sequitur *DEUM* *Lunæ* vires aliquas in morbu efficiendù tribuisse, & secundis causis in hæc inferiora potestatem aliquam secundum suum beneplacitum permisisse, & ijs tanquam instrumentis etiam nunc uti. Cum igitur constet

steet humores in nostris corporibus regi ab ipsis superioribus: ex malis autem corporum humoribus oriri morbos, & ex morbis interitus, non immeritò sanè mortis & cæterorum morborum causa in corpora cælestia aliqua ex parte refertur: & Medicum, cujus officium est *sanitatem præsentem conservare, amissam verò instaurare*, haut meliùs fungi suo officio certum est, quàm si *naturæ actiones*, cujus à Galeno *minister* vocatur, penitiùs cognoscat. Non autem deprehendemus meliùs hominis cujusq; temperamentum & qualitates, mores & ingenium, corpus & animum, Vitæ actiones, & ad quam maximè rem quisq; aptus sit, quàm ex eadem cælestium corporum consensione & harmoniâ. Nam teste Plutarcho; *à sole & Lunâ, sideribusq; & vitæ, & motus principia manant, quæ providentia nobis videnda præbuit, ut sensibilia sanè sint intelligibilium simulacra & incitamenta.*

Malachias DEI Propheta, *sanitatem esse sub radiis* docet, quos ille alas venustè appellat; atq; *his fieri & conservari hominum incolumitatem*, affirmat. Et Psaltes (Psalm. 121.) inquit: *Per diem sol non lædet te, neq; luna per noctem.* Ex his scripturæ locis constat, stellis inditas esse virtutes à DEO, quibus non tantùm *aer variè afficitur*, ut nonnulli existimant, sed & *homines*, & secundùm ejus voluntatem conservantur incolumes, nuncq; lædi se sentiunt planè à *αεροροχλησις*. Et quemadmodum DEUS cursum stellarum assiduè moderatur, ita vires earundem temperat, nequid piorum cætui indè periculi, aut noxæ existat. Quemadmodum & succos Venenatos sine noxi, aut periculo Christus bibituros suos discipulos affirmat. Hoc non ignoravit etiam Aristoteles, cum inquit: *Homo hominem generat & sol*; quasi dicat; parentes & causæ cælestes concurrunt in hominis generatione. Et Hermes Philosophus, *solem & Lunam, post DEUM, omnium viventium esse vitam, asserit.* Non alienus ab hoc est Hippocrates, qui mortalibus *vita, & morborum agroti, solum aërem esse autorem*, scribit. Et Galenus in arte Medicinali: *Ab aëre*, inquit, *afficitur & mutatur corpus*, quia aut *calefit*, aut *frigescit*, aut *exsiccat*, aut *humectatur.* Undè ex sententia Ciceronis, *ex admirabili ordine celestis, incredibiliq; motuum constantia, conservatio & salus omnium oritur, & ea, qui vacare mense, vel potius effectu putat, ille ipse mentis expertus est.* Si itaq; conservatio ex Astris oritur, ex iisdem etiam corruptionem proficisci necesse est. *Contrariorum enim eadem est ratio.* Taceo quod non

non duntaxat Philosophi olim, sed & Medici in medendo Astro-
rum cursum maximâ cum industriâ observabant. Hermes ille
Philosophus, quem Græci tanto habuerunt in honore, scriptis ad
Amonem literis, morborum causas in iis, qui furore corripiuntur & mente
sunt alienati, ad sidera refert. Noster Hippocrates admonitiones de
observandis momentis orientium & occidentium siderum, præmittendisq;
futuris tempestatibus sæpè sparsim in suis repetijt voluminibus, &
sedulò ijs inculcavit, quos ex suâ scholâ, aliò ad exercenda facien-
daq; artis Medicæ opera, ablegavit, tanquam rem magni momenti,
& planè necessariam prænoscentis, antevertendis, depellendisq;, si
invasissent, morbis. Dioelem Caristium citat Galenus testem,
qui affirmat non recentibus duntaxat suo tempore, sed & veterib;
Medicis observationes siderum usitatas fuisse.

Et Galenum fuisse Astrologum patet ex lib. 3. ubi de diebus De-
cretoriis, à Luna cursu petitis, tractat.

Criticis enim diebus, quos Medici in morbis, præsertim acutis
diligenter observare jubent, humores in corporibus malè affectis
moventur, & quidem ita, ut, vel morbus ægrum succumbeate na-
turâ, opprimat, vel natura discussis noxijs & pravis humoribus sese
recolligat, & tandem contrâ vim morbi insurgens eundem feliciter
superet.

Hanc rem totam, ut de Cæteris penè innumeris nihil dicam,
ab astrorum significationibus & influentijs pendere, nemo est, qui
non intelligat; aut si negare quis velit, is ad experientiam, stulto-
rum Magistrum, si ablegetur, fateri tandem, quod res est, habebit
necessè. Idem Gal. lib. Epid. cap. 1. inquit: *Medico necessarium esse
cujusq;, perspexisse sideris emergens & occasus.* Et in summâ, inquit; *Medico
figura geniture accuratè disquirenda est, ut de morbi qualitate judicemus.*
Eandem artem & Galeni Patrem calluisse constat; Quemadmo-
dum ipse Galenus, attestante Antonio Fumanello, asserit: *Pater
meus, inquit, optimus fuit Mathematicus, exercitatus quandoq; in Geometriâ,
Arithmeticâ, Architecturâ, & Astronomiâ.* Crinam Massiliensem Medi-
cum Plinius (lib. 29. nat. hist.) scribit, *ad siderum motum ex Ephemer-
ide Mathematicâ cibos ægrotis, magno cum successu dare, & ad id horas ob-
servare solitum.* Avicenna *Astronomiâ per decem annos cum Sorzano disci-
pulo operam dedit, & instrumenta plurima, cæteris ignota, suis para-*

vire manibus. Fernelius (lib. 2. de abdit. rer. caus.) refert: Se incidisse in quendam Medicum prudentissimum, qui ad febrium, populariumq; morborum curationem selectas antidotos, diligenti siderum observatione, adhiberet, magnâ cum omnium admiratione.

Ex quibus patet non solum dictos Medicos operam dedisse Astrologiæ, sed etiam alijs, qui ante hos vixerunt usitatas fuisse observationes siderum & has necessarias ad artem medicam judicasse. Hæc cum ita sint, quis rationibus & manifesta experientia nunc contradicens, Astrorum esse in nos influentiam, eamq; ut plurimum juxta Apotelesmata Astrologica prævideri posse, ibit inficias? Quis secundas morborum causas & destructionis, depravationisq; corporum nostrorum, non esse sinistros & malevolos siderum Cœlestium influxus, temperamentorumq; infelicitatem, contradicere audebit: & indè Astrologiæ cognitionem Medico non necessariam existimabit?

Dies me profectò citiùs deficeret, quàm oratio, si omnia, quæ ad hujus scientiæ præstantiam, & cui se pleriq; opponunt certitudinem faciunt, recensere vellem; sed hæc aliud in tempus differre ratio, & loci, & temporis svadet. Nos igitur cum juxta veterum admonitionem, optimùm sit rectè valere, dignam esse homine ingenuo hanc curam & artem statuamus, quæ causas mutationum in nostro corpore, quæ cum aliquo periculo sunt conjunctæ, inquirat, eaq; omnia, quæ obesse valetudini intelligit, summo studio avertere, aut emoliri conetur.

Id verò assequemur multò faciliùs, si in cognitione hujus artis, quæ præterquam quod voce divinâ commendatur, utilitates vitæ, & valetudini hominum tuendæ affert innumeras, plurimum studij nobis ponendum esse existimabimus.



Pictu-

Pictura AEsculapi

AEsculapius Hermetis Trismegisti discipulus (qui fuit auditor Noachi & Chusi Pædagogus, ejusq; liberorum Isidi & Osiridis præfectus) ex Aegyptu in Græciam attulit Medicinam: & quidem tanto cum successu, ut Hippolytum Thesei filium, qui in deliquium animi inciderat, in vitam revocasse perfragatione vulgi sit creditus, diviniq; honoribus adeo cultus, ut non saltem Regnum ibi condiderit, sed & Medicinae inventor celebratus fuerit: quemadmodum ipse testatur apud Ovid. lib. 15. Metamorph.

Inventum Medicina meum est, opiferq; per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Hinc moti Viri Veteres natura periti, effigiem AEsculapi admodum ingeniosa
inventione pingere, inq; eâ octo Medici officia scire adumbrare soliti sunt.
Quæ carmine, Dialogi instar, jam primò inclusa & explicata,

Magnificis, Spectabilibus, Excellentiss. Clariss.
VIRIS,

DN. JOANNI BACMEISTERO,
DN. JOANNI ASSUERO,
DN. JACOBO FABRICIO,

Philos. & Med. Doctoribus & Ang. Rostochiensium Acad. Professioribus digniss. amicis ac fautoribus colendis
Dicat ac offert.

Dialogus

AEsculapi & Philiatri.

- I. Ph. Quis DEUS? Æ. AEsculapius. Ph. Capiti cur noctua fudit?
Æ. In studijs Medicum perpetuum esse jubet.
- II. Ph. Quid sibi vult asper Baculus, capitisq; Galerus?
Æ. Omnia quàm cautè sint peragenda, docent.
Videlicet Medicus justâ libret omnia lance;
Et vires ægri remmedijq; modum.

III. Ph.

- III. Ph. Callidus at' collo cur circum-volvitur Anguis?
Æ. Cautelâ quâ sit danda Medela, docet.
- IV. Ph. Squamosum ducit cur cum *Cane* dextra *Draconem*?
Æ. Quâ morbi tollas innuit arte malum.
Servando sanum corpus, morbumq; fugando,
Et propè terrilem ritè domando necem.
Insuper & vires rerum benè scire latentes,
Quis abigas tutò, &, tot nocumenta, citò.
- V. Ph. Cur *pini pomum* gestas Vibrasq; Sinistrâ?
Æ. Hæc Ars concusso non nisi corice agit;
Scilicet in molli jacet haut Medicina Theatro
Quam Macrocosmus, quam vel Microcosmus alit.
Huic si jam cœli junges Chymicosq; labores,
Quam benè Doctoris nomine dignus eris,
- VI. Ph. *Alex* cur lateri adstat? Æ. Proxima nempe salutis
Est ratio Medico nullaq; habenda luci.
- VII. Ph. Aligeri in dextrâ *Pullus*? Æ. servare diatam,
Quidve ægro profit, quid noceatve, docet.
- VIII. Ph. Sed quid id est, quod sis canis atq; obsitus annis?
Æ. Ætas Doctores arsq; laborq; decet.
Artis enim ignorans usum quicumq; medetur,
Haut meruit Medici nomen habere boni.

SIMEON PARTLICIUS
de Spitzbergk, M. D.

Quatuor optima;

Quatuor pessima.

Quæ causæ est, quæris, tot bellorum atq; malorum?


Hoc vice responû Symbolon esto tibi.


Præcept Theologorum judicium;


Tardum Medicorum auxilium;

Suave Jure-consultorum delirium;

Inanq; Philosophorum dissidium.










Small, light-colored rectangular label affixed to the right edge of the book cover, likely containing identification or library information.



the scale towards document

liter quam *Mercurius* in caelo ventosus, & aërius,
, semperq; soli præsto est, ejusq; mandata nunc
scurrens, exequitur. Tandem in singulis corporibus
um diversitatem quis non videt? Quis nescit eos,
simum sidus feliciter tinxit, altas res, & à vulgâ
crutari? Eos vero, quibus *loviale* affulsit splendor,
liticis negotijs magis affici? Quis nescit nonnul-
cades, tumultus, & rixas spirare, quos *Martius exa-*
r? Aliosq; honores, dignitates, rerumq; dominia
tectare?
atem amoribus, delectationibus, Musicâ, alijsq;
peragant, quos blanda *veneris exhiberat stella*. Alij
exercendis, vel etiam mercaturæ se totos dedunt,
ficiuntur sidere. Quidam *Lunaris naturæ influentiam*
tionibus, navigijs, piscaturis & similibus rebus
solvunt. Atq; hoc pacto magna ingeniorum Varie-
nem septem Planetarum percipi potest. Quod sa-
am argumentum illius, *quod corpora superiora occultare*
virtutem ex motu suo, lumine, & influxu, *in corpora*
per quam humores in corporibus nostris mutan-
minuuntur, secundum siderum positum & qualita-
sa quotidiana experientia, certissima omnium re-
clarius evidentiusq; docet, quàm ut longiori de-
ere videatur. Quod si quis fidem dictis adhibere
consideret, quæ *in humores præcipuè sibi Dominium*
è convincetur? *Crescente enim Luna, crescunt humo-*
lla in homine & bestijs. Et Lunaticus curatus à
è cadebat in ignem & crebro in aquam, absq; dubio
motum fuit correptus. Videmus enim hydro-
n corpore resolutione, *quibus Luna non minùs quam*
simè semper circa novilunia torqueri, eo quod
m Lunà plenà, in plenum statum advecta sit: ideoq;
pici circa plenilunia moriuntur. Undè sequitur *DEUM*
in morbu efficiendû tribuisse, & secundis causis in hac
tem aliquam secundum suum beneplacitum permi-
am instrumentis etiam nunc uti. Cum igitur con-
ste